

RESPONSIO AD DE- CLARATIONEM SEXTI Articuli in quo dicitur,

Satisfactio est persolutio pœnæ plerunq; adhuc debite, remissa iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari culpa remissa, erroneum est, & scripturis sacris aduersum.

Verissimè dictum est illud, quod in prouerbi- um abiit, qui benè distinguit benè soluit. Et quidem parata est uia ad concordiam, de tribus partibus pœnitentiæ, Contricione, Confessione, siue Enumerati- one, & Satisfactione in distinctione publicæ pœni- tentiæ à priuata.

Nam omnes fatentur contricionem esse primam partem tam publicæ quàm priuatiæ pœnitentiæ.

Nemo etiam negat confessionem imò enumerati- onem eorum peccatorum, pro quibus imponeban- tur pœnæ præscriptæ in canonibus pœnitentialibus necessariam fuisse, sicut docet Cyprianus sermone quinto de lapsis. Pœnitentiæ inquit iter quod osten- dit Antistes, amplectamur remedia uitalia, quæ de scripturis cœlestibus ille depromit assumamus & ex uulneribus etiam occultis, quorum Exomologe- sin fecimus, exponentes apud eum conscientia no- stræ pondus salutarem medicinam exquiramus.

Et hoc concordia Ecclesiæ de doctrina satis- factionum condonandum est. Satisfactiones, de quibus loquuntur Cyprianus, Origenes, Hierony-